



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Detectio Nvgarvm Lvtheri, Cvm Declaratione Veritatis
Catholicae, Et Confvtatione Dogmatvm Lvtheranorvm**

Bundere, Jan van den

Louanij, 1551

De seditionibus ex Lut. doctrina subortis cap. xxxiiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35621

De seditionibus ex Lutheri doctrina subortis.

CAP. XXXIII.

PHILOMATHES Christus vt semper fuerit pacis amantissimus, immo & pax nostra qui fecit vtraque vnum, multa fecit & docuit ad enutriendam beneuolentiam mutuam. Huc spectat quod ait, Non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram &c. *matth. 5.*
Luc. 6.
Hoc nostri pro sua virili imitatur, etiam animas ponentes pro fratribus suis.

ORTHODOXVS Nihil minus effecit Lutheri euangelium, Ipse Hieronymus emserus ex quàm pluribus ipsius Lutheri libris deduxit eum omnium seditionum Germaniæ fuisse authorem. Et tam lucidè quòd hæctenus diluere nemo attentauerit. Fecit enim Lutherus perinde atque Iudas. Hic pacis osculo tradidit Christum. Et Lutherus sub specie euangelij præcipitat in seditiones & rebellionem Germaniam, ciuitatem vnã contra aliam, gentem aduersus gentem, plebem cõtra senatum, populum aduersus principes, principes aduersus imperatorem, omnes aduersus papã & clerũ. Nõne è Lutheri doctrina natus est tumultus Thomæ Munceri qui aliquot milibus rusticorum stipatus Turingiam, Sueuiam, Ollatiam peruagates, cœnobias eccle-

N sias,

DE SEDITIO. EX LVTHE.

54
6

fias, immo & arces demoliti sunt. Donec re-
presserit eos illustrissimus Dux Saxoniae Ge-
orgius cum alijs principibus, vt habitum est
cap. superiore. Nec prætereundū est quā
seditiosè scripsit Lutherus cōtra Romanum
pontificem, Christi in terris vicarium. Qui
habet, inquit aures audiēdi, audiat: & à Tur-
cico bello absteineat, donec nomen Papæ sub
cœlo valet. Ad Carolum autem quintum
tum Cæsarem electum scripsit quandam ec-
clesiæ reformationem (verius dixerim era-
dicationem) in qua post Romanæ curiæ re-
censitas pōpas & abusus, omniū animos in o-
diū Ro. pōtificis prouocare conatus est. Po-
testati inquit Papali nequaquā obtēperādum
est, sed resistendū corpore, substantia, ac cun-
ctis quibus possumus viribus. Euigilemus igitur
ō chari Theutones, ne rei pariter efficiamur
omniū infeliciū animarum, quæ pereunt
per istud sceleratū ac diabolicū regimē Rom.

Acrius adhuc inuectus est in bullam Leo-
nis decimi: Ad quid (inquit) conducit corpo-
raliter prohibere Turcam? Quid mali facit
Turca? Occupat prouincias, & gubernat tē-
poraliter: at hoc ipsum à papa nos quoq; pati
oportet, qui & corpus & vitam nobis excoris-
at, quod Turca nō facit. Permittit enim Tur-
ca vnumquemq; in sua fide permanere, quod
papa

papa non facit, Sed cogit vniuersum mundum à fide Christi ad sua diabolica mendacia, vt regimen papæ in corpore bonis & anima decies nimirum sit peius quàm Turcæ. Et si Turcam expugnare velimus, à papa nobis incipiendum erit. At in libro aduersus falso nominatum ecclesiasticorum statum intitulatum sic habet. Quicumque opem ferunt, corpus, bona, & famam, in hoc impendunt, vt episcopatus deuantentur, & episcoporum regimen extingatur: hi sunt dilecti filij Dei, & veri Christiani, obseruâtes præcepta Dei, & repugnâtes ordinationibus diaboli: Cõtrà verò quicumque manu tenent episcoporum regimen, eisque obediunt, hi sunt diaboli ministri, & repugnant legi Dei, & eius ordinationi. Causam licet falsam scribit in li. cõtra regem Angliæ, tandẽ inquit, compertũ est Papatum episcopatus, collegia, monasteria, academias simul cũ omni sacerdotio, monachatu, monialatu, missis, cultibusque Dei meras esse sectas damnatas diaboli. Animaduertent aliquando archiepiscopus Maguntinus in quosdam pertinaces hereticos quos ne alijs forent contagio, exilio relegauit. Mox Lutherus arrepto calamo sic scripsit. Si ciues Hallenses & subditi archiepiscopum Cardinalẽ expellerẽt, aut interficerent iustè agerent. Quid omnia

DE SEDITIO. EX LVTHE.

ista spirant nisi flammam seditionum rebellio-
numque in clerum ?

PHILOMATHES Omnem obedientiam
& subiectionem exhiberi Imperatori vult Lu-
therus, secundum doctrinam Pauli dicentis.
Rom. 13. Nō est potestas nisi à Deo. Qui igitur potesta-
ti resistit Dei ordinationi resistit.

ORTHODOXVS Aliud loquitur liber
quē Admonitionem ad suos Germanos vocat.
In quo nil aliud re ipsa quærit q̄ vt insidiosis
dolis mendacijs, clamoribus atque præstigijs
faciat Germanos à Cæsare deficere, & omni-
bus potestatibus rebellare. Nec veretur men-
daciū Cæsari inurere quasi fidem publicam,
& saluum conductum ei violauerit.

Dum Augustæ comitia imperialia celebra-
rentur anno. 1530. Lutherus edidit epistolam
scribens ad archiepiscopum Maguntinum Car-
dinalē, interpretans Psal. illum Quare fremue-
runt gentes, non secus quàm si principes Au-
gustam convenissent aduersus Christum &
eius euangelium, vt Cæsarem Germanis & e-
piscopos plebi ac nobilitati odiosos redde-
ret. Edidit etiam de bello in Turcas, vbi sic
habet, Cæsar nō est caput Christianitatis, neq̄
defensor euangelij aut fidei. Oportet sanè ec-
clesiam fidemque alium habere defensorem
quàm Cæsar & reges sunt. Isti fermè sunt pes-
simi

simi hostes Christianitatis & fidei. Hoc dixit
 proculdubio sentiens Imperatorem tam fidei
 quàm Lutheri euangelio non fautorem sed
 hostem. Nam ambo cum euangelio Christi
 pugnāt. Doluit enim imperatorem suis rebus
 nolle studere. In eodem libro deterret o-
 mnes à bello Turcico, Deus inquit nobiscum
 nō est ad bellandū cōtra Turcam. Quia per
 eum Deus visitat peccata nostra. Et diabo-
 lus omnes conuentus imperiales impedit,
 donec Turca oportuno tēpore Germaniam
 disperdat. Vanissimum quoq; edidit libel-
 lū de seculari potestate, vbi tanquam glorio-
 sus Thraso suas glorias & virtutes iactat, ac
 se præfert Augustino & Ambrosio, qui de re-
 publica bene scripserunt. Libellus si exactius
 excutiatur, seditionis tumultusque inuenie-
 tur refertissimus: in quo inter cætera sic ait,
 Seculares Domini deberent prouincias gu-
 bernare extrinsecus. Hoc omittunt, non plus
 scientes quàm excoriare, ac deglutire, vnum
 vectigal super aliud, vnum tributum super a-
 liud imponere, hīc vrsū, illic lupum emitte-
 re. Agunt itaque peius quàm prædones ac
 nebulones agant: & seculare eorum regimen
 tam profundè iacet, quàm iacet ecclesiasti-
 corum tyrannorum regimen: & Turca deci-
 es & prudentior & probior est Principibus

DE SEDITIO. EX LVTHE.

nostris. Ut autem rempublicam omnem
prorsus à fundamentis euertat, in captiuitate
sua Babilonica dicit tam liberum esse homi-
nem christianum, vt neque Papa, neque Im-
perator, neque vllus hominum habeat ius v-
nius syllabæ constituendæ super christianum
hominem, nisi id fiat eiusdem consensu. Hoc
enim foret, vt ait, hominum seruos fieri, & ty-
rannicis legibus subijci. In epistola etiam
quam appellauit Fidelē admonitionē sic scri-
psit. Doce, loquere, scribe, & prædica, quo-
modo leges humanæ nihil sunt. Verba tua
Luthere non nisi seditiones cōcitant prætex-
tu euangelij pacis. Meminisse debueras illius
Pauli, Omnis anima potestatibus sublimiori-
bus subdita sit. Non est potestas nisi à Deo.
Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.
Qui autē resistunt, ipsi sibi damnationem ac-
quirunt. Idem ait Tito discipulo suo. Ad-
mone principibus & potestatibus subditos
esse, dicto obedire, ad omne opus bonum pa-
ratos esse. Et ad Hebræos. Obedite præposi-
tis vestris, & subiaccete eis, Ipsi enim peruiigi-
lant quasi rationem reddituri pro vobis.

Hæc qui legerit, mirari desinet opinor, cur
Lutherum quidam facem & originem ma-
lorum omnium quæ per Germaniam ali-
quot iam annis grassata sunt, vocare volue-
rint.

Rom. 13.

Tit. 3.

Heb. 13.

rint. Quante seditioes, quantæ cædes, quantæ bonorum direptiones, quanta omnium rerum perturbatio, quantæ rebelliones, quanta pietatis ruina, quanta denique pudicitia, verecundia, & honestatis euersio excitata sit ex doctrina Lutheri, quis verbis consequi poterit? Vbi est gloriatio tua Luthere? Nihil in ecclesia nisi malum abrogauimus.

Quod bonum est seruauius. Ieiunium, oratio, abstinentia, cultus Dei externus, laus Dei, ordo hierarchicus in ecclesia, regum & principum iusta dominia, tuo ne iudicio mala sunt? Ipsa enim abrogasti. Inobedientia superiorum, cædes, rapina, seditioes, tumultus, sacrorum prophanatio, abolitio sacramentorum, Germaniæ, Angliæ, ne dicam totius Europe perturbatio, eliminatio pudicitia, orationis, ieiunij, & abstinentia, votorum Deo emissorum violatio, legitimi matrimonij separatio, hæc ne æstimas bona que reseruasti? Verè excæcauit te malitia tua.

Scripturæ per quas hæc tua probas, sunt maleuolentia tua in papã, in clerum, & in omnes tibi non consentientes, mendacia, calumnie, conuitia, detractiones & susurria arma sunt quibus congregeris & pugnas.